



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelia Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 3. Mores.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

## N v m . 3. Mores.

DALMATÆ omnes bellicosi, proceri, expeditissimi. Qui degunt in montibus nondum barbariem videntur exuisse, apud eos similis virorum, & fœminarum cultus. Plerique literas profitentur æmuli S. Hieronymi, quem suum popularem vocant. Versus habent plures, quibus laudant viros, qui in bello Turcico ceciderunt.

## N v m . 4. Politia.

COMITATVS Zarenſis emptus ab Hungaris pertinet ad Venetos. Hi autem ex suâ ditione Dalmaticâ colligunt quotannis 50. millia Ducatorum, & per Proutorem suum hîc ius dicunt. Turca Saniacos plures habet in vrbibus munitis, qui omnes pendent ex Bosnensi Præfecto. Pars autem Dalmatiae est quæ sequitur.

## §. 4. Resp. Ragusina.

VVLGO le Ragousan ab vrbe munitissimâ, cui circumposita regio arte potius quam naturâ fertilis redditâ est, pinguiori solo in cautes delato. Huius incolæ omnes lucro dediti, & diuites ob mercaturam quam vbique gentium exercent: in peregrinos faciles, quia vicem expectant. Huius autem Reip. regimen simile Veneto, Dux quem Rectorem vocant singulis mensibus eligitur, cui assident 100. Senatores: in castrum S. Laurentij quotidie nouus Gubernator immittitur: centum millia ducatorum annui reditus habet, 500. tormenta bellica, aliquot naues quibus vti non potest, Venetis prohibentibus. Turcæ tributaria est, eique 20. millia Sultanorum, aut 15. aut 10. pensitat, nam variè sentiunt Scriptores. Quidam huius Reip. Patronum faciunt Hispanum, alij summum Pontificem; certè Ragusini sunt omnium Clientes, & ita summo in otio vbique viuunt. In Turcicâ ditione, nulla portoria soluunt, & à Turcis impensè diliguntur Ragusini mercatores, ob commoda quæ ab iis percipiunt.

## §. 5. De Seruiâ &amp; Rasciâ.

## N v m . 1. Nomen.

NOMEN habet à Serbis populis, quorum meminit Plinius, qui